


Prorector Et Senatvs Academiae Christiano-Albertinae Memoriam Pro-Cancellarii Magnifici Viri Illvstris Consvltissimi Amandi Christiani Dorn, D. ... De Patria, De Academia, De Re Litteraria Immortaliter Meriti Civibvs Svis Diligentissime Commendant : [P.P. sub sigillo Academiae Mens. Octobr. MDCCLXV.]

Kilonii: Bartschius, [1765]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn822228157>

Druck Freier  Zugang






1 Kuffler.

N. l. - 240 (3.)
N. l. - 240 - (3)





XIV

PRORECTOR ET SENATVS
ACADEMIAE CHRISTIANO-ALBERTINAE
MEMORIAM

PRO-CANCELLARII MAGNIFICI 44
VIRI ILLUSTRIS CONSULTISSIMI

AMANDI CHRISTIANI
DORN, D.

CAESAR. SVAE CELSIT. A CONSIL. STATVS,
IVRIS PVBL. ET FEVDAL. P. P. O. ET JCTOR. ORDINIS
PRIMARI

DE PATRIA, DE ACADEMIA, DE RE LITTE-
RARIA IMMORTALITER MERITI

CIVIBVS SVIS
DILIGENTISSIME COMMENDANT.

KILONII, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII,
ACAD. TYPOGR.

1765.

I.

XIV

PROLOGUS ET PRINCIPALIS
ACADEMIE GOTTORPENSIS

PROFESSOR ABH-NOVIM

AMANDI CHRISTIANI

PHILOSOPHI

CASSAR IIUS

DR. P. THOMAS

CAV. P. THOMAS

DICTION. THOMAS

ELIENSIS

ELIENSIS

1717

Sextus fere mensis exit, CIVES CARISSIMI, ex quo obitum Viri Magnifici, illustris, Consultissimi atque doctissimi **AMANDI CHRISTIANI DORN**, Collegæ quondam omnivoluntate nobis conjunctissimi, ex tabula publica vobis annu-
ciavimus & inde enatum luctum publicum indiximus, sed nondum cessavit magnæ, quam morte ejus pepessi sumus, jacturæ triftis recordatio. Et qui fieri posset, ut illa cesseret, cum singula ista, quæ ab illo in patriam, in academiam, in totum litteratum orbem redundarunt, commoda adhuc in recenti memoria sint, & omnibus ante oculos versentur?

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam chari capitis?

Non illi profecto sumus, qui amici, qui viri de republica optime meriti memoriam exiguo temporis spatio deleri patiamur, verum singula, quæ nobis exhibuit, & fidei, & probitatis, & optimæ præcipue, qua erga academiam utebatur, voluntatis documenta grato animo recolentes, & nosmetipsi meritorum ejus recordamur, & vos ad recordationem eorundem allectamus. Hoc enim pietas doctore vestro quondam fidelissimo debita requirit. Hoc vobis etiam salutare est & perquam proficuum, cum nihil unquam magis proficuum esse possit ad virtutem, quam assidua bonorum atque magnorum virorum & vitæ laudabiliter actæ repræsentatio, eorum præcipue, qui officio strenue & pro virili satisfaciunt, non sibi, sed patriæ vivunt, atque dum huic inserviando consumuntur, pro patria obiisse recte dicendi sunt.

Dulce & decorum esse *pro patria mori*, antiquiores confessi sunt, recentiores confitentur. Atque non confessi solum
sunt,

sunt, verum etiam exemplis omni commendatione dignissimis
comprobarunt. Hinc præclara illa facinora, quorum memo-
riam æternam reddidit & venerabilem omnis tam veteris
quam subsequæntis ævi historicorum cohors. Hinc admiran-
da illa virtus bellica, invicta fortitudo, & animus gravissimis
quoque periculis frangi nescius. Hinc heroica ista veterum
exempla eorum, qui læti atque hilares mortem in præliis non
tam exspectarunt quam advocarunt, quoties hoc salutis publicæ
conducere illis persuaderi potuit. Græcorum pariter atque
Romanorum infinita heroum multitudo hoc æque demonstrat,
ac veterum Germanorum, Cimbrorum, Celtarum reliquo-
rumque populorum septentrionalium, qui patriæ amori, fu-
turi, ejusque melioris seculi, spem atque expectationem ad-
huc addiderunt. Hi enim erant, qui, teste Valerio Maximo,
*alacri quadam & forti philosophia utentes, in acie exultarunt tanquam
gloriose & feliciter vita excessuri.* Neque minus huc spectant qui
pro patria semetipsos devotentes æternam gloriam consecuti
sunt, quod de M. Curtio, P. Decio, utroque patre & filio,
relatum legimus, pariter ac de Regulo qui ad barbaros hostes,
fide data, rediit, precibus & suspiriis uxoris & liberorum
inexorabilis, mortem pro patria præferre non dubitavit pro-
priae salutis, cruentam potius mortem exoptans, quam vitam
vel minimo consilio reipublicæ noxio, quamvis sibi utili & alta
humanitatis voce efflagitato, redimere. „Sed quid, ut cum
„Cicerone loquamur, duces & principes nominemus, cum
„legiones scribat Cato sæpe alacres in eum locum profectas
„unde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedæmo-
„nii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

„Dic hospes Sparta, nos te hic vidisse jacentes

„Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

„Quid

„Quid ille dux Leonidas? Pergite animo forti, Lacedæmonii:
 „hodie apud inferos fortasse cenabimus.“ Et quis, quæso,
 finis esset allegandi, si omnia quæ huc spectant fortissimorum
 virorum exempla cumulare atque in medium proferre veli-
 mus, cum tales innumerabiles ætas majorum tulerit viros.
 Ac non viros solum, sed sceminas etiam æquali fortitudine pa-
 triam liberis præferentes. „Qualis enim Lacæna? quæ cum
 „filium in prælium misisset, & interfectum audisset, idcirco,
 „inquit, genueram, ut esset, qui pro patria non dubitaret oc-
 „cumbere.“

Verum enim vero, CIVES CARISSIMI, hæc ra-
 tio pro patria moriendi, quæ vel violenta morte, vel bello,
 vel devotione, vel simili quovis modo persciter, ea est, quæ
 rarior occurrit, ejusmodi occasione quotidie non existente.
 Sed alia quædam via est, quæ ad eandem gloriam ducit, factis,
 licet non eundem plane splendorem exhibentibus, haud tamen
 minus utilibus adeoque, quodsi ex meritis honorem nasci con-
 fiteri velis, haud minus æstimandis, calcanda. *Omnis vir bonus
 pro patria moritur*, qui, officii memor, vitam agit reipublicæ
 commoda atque emolumenta & custodientem & augentem.
 Et cum illæ, quæ ingenio potissimum peraguntur, operæ, ma-
 jori certe laude dignæ sint, aliis quibuscunque laborum ge-
 neribus, & si sua quoque laude alias non frustrandis, illos qui
 litterarum studiis operam navantes patriæ inserviunt atque ita
 potissimum inserviunt, ut de eo quod ad commoda ejusdem
 spectat ipsorum studiis promovenda, nihil in se desiderari pa-
 tiantur, si diem supremum obeunt, pro patria & vixisse, &
 exspirasse, fatendum est. Imo si quot & quanta sint quæ ejus-
 modi Viri in se suscipiunt onera, quot ipsorum labores, quot

vigiliae, quot sudores animo perpendas, facile judicandum est, eandem illos gloriam manere, quae vulnera & mortem patriae causa suscipientes expectat. Quid enim refert, an quis contempto uno vel altero periculo graviori, quod tamen raro occurrit, gloriam consequi studeat, au contempto quotidie quovis incommodo, spretoque omni fere eo, quod ad commodum vitae genus, ad voluptatem, & ad tranquillitatem allestat, impedimento. Qua quidem pulchra æternisque digna encomiis agendi, atque pro patria moriendi ratione uti, nescio an ulli magis contigerit, quam **ILLUSTRI VIRO** ejus mortem deflet academia hæc nostra Christiano-Albertina, quem nihil fere sibi, totum autem aliis vixisse novimus. Quod licet nemini vestrum dubium videri possit, quibus optimum virum nosse, ejusque vitam e propinquo contemplari datum fuit, accuratius tamen delineanda est ejus imago, vitæque a primis natalibus enarranda, ut, quod vivus vobis fuit viri optime de patria merentis exemplum, hoc dolenda morte extinctus aduc vobis præbeat imitandum.

Natus erat anno hujus seculi undecimo Calend. Novemb. Parchimi, Ducatus Megalopolitani oppido haud incelebri. Patrem habuit **MELCHIOREM DORNIUM** in ista civitate Senatorem candore atque dexteritate spectatissimum, Matrem **ILSABEN MAGDALENAM** ex **BILDERBECKIORUM** gente oriundam. In primis litterarum puerilium rudimentis institutus est a **JÆNIKIO**, qui postea Sacrorum antistes factus est, & sic quoque nostrum docuit. His studiorum initiis feliciter positis domesticum doctorem habuit, quod Clariss. Weidlichius narrat, **LUDOVICUM GERHARDUM**, famoso isto de *ἀποκατάστασι τῶν πάντων* dogmate

dogmate theologis, & singulis in religione paululum ultra vulgus sapientibus, notissimo. Hujus tamen doctoris erroneas circa religionem Christianam opiniones tantum abest ut suas fecerit, ut potius nihil unquam ad hanc sententiam spectans vel voce vel scriptis defenderit, vel animo infixum esse ostenderit. Moderante porius hoc præceptore, litterarum, quibus ab humanitate nomen est, pariter ac philosophiæ initia didicit. Hac autem institutione, licet satis forsitan bona & fidei, non contentus, ad altiora progressus est. Gymnasium itaque adiit Gustavoviense, ibidemque & assidua diligentia & morum probitate doctorum applausum meruit. Sed non intra privatos solummodo parietes, quos in litterarum studiis fecerat progressus, ostendit, verum etiam publice eorundem testimonia exhibuit, binis orationibus habitis, altera ipso naturali die Celsissimi tum Ducis Megalopolitani CAROLI LEOPOLDI, altera cum gymnasio vale diceret in academiam tendens. Hanc primam elegit patriam, Rostochium, celebre & perantiquum litterarum emporium. Ibi notæ ejus platonice scholæ inscriptionis: nemo geometriæ ignarus accedat, memor, aut Aristotelici forsitan recordatus effati, qui, illius cum auditor quidam esse vellet matheseos ignarus, abi, inquit, ansas enim philosophiæ non habes, haud breve temporis spatium mathematicis scientiis dedicavit. Has vero, licet in se præclaras & per se exoptandas, tamen pro eo, quem proposuimus habebat, scopo præparatorias tantummodo scientias non eo usque adamavit, ut reliquas ad scopum proprius accedentes negligeret, sed & in has magno incubuit studio. In addiscendo præcipue jure civili romano doctorem ibidem habuit Lemnium.

Quibus

Quibus doctrinae academicæ fundamentis feliciter positis, Jenam se contulit scientiarum nutricem celeberrimam, atque tum temporis præcipue tam in philosophia quam in jurisprudentia fama atque studiis doctorum celeberrimorum florentissimam. Hic hospitem habuit pariter ac doctorem JACOBUM CARPOVIUM, virum doctissimum, philosophiæ doctorem atque nunc Vinariensis Gymnasi Directorem, scriptis atque in rem litterariam meritis clarissimum. Illo duce philosophiam accuratius, quam hæctenus, didicit recentiorum, Wolfii potissimum pariter ac Leibnitii inventis & traducta ad philosophiam methodo geometris antiquioribus usitata, insigniter auctam & emendatam. Illius autem non solum institutione, verum etiam consuetudine & familiaritate usus est, ac multa ab eodem in se collata benevolentia specimina sæpissime prædicare solebat. In philosophia HENRICUM KOEHLERUM audivit, juris præcipue naturalis & Gentium notitia omni posteritati commendatissimum. Atque ita quidem eum audivit, ut exquisitissimos ex institutione ejus fructus caperet, id quod nemini dubium videri potest, qui doctoris eruditionem, auditoris diligentiam, & habitum jurisprudentiæ naturalis ad rempublicam omnemque jurisprudentiam civilem animo perpendit. Is enim est, cujus caussa ipsi legum romanorum auctores affirmarunt: jus civile collectum esse ex rationibus naturalibus, gentium atque civilibus. Itaque neque in totum a naturali vel gentium jure recedere neque per omnia illi servire, atque vel aliquid addendo, vel detrahendo juri communi, jus proprium seu civile effici. Neque vero eas, quarum amoenitatem Rostochii gustarat, litteras mathematicas incultas plane hic reliquit, qui GEOR-
GIO

GIO ERHARDO HAMBERGERO mathemata docenti auditorem se præbuit assiduum. Viri hujus celeberrimi docendi genus, quod plane singulare erat, & mira quadam perspicuitate pariter ac suavitate ingenii commendabatur, licet simplex & popolare, & omni artificio oratorio destitutum, vehementer illi placuit. Imo in hoc Hambergerum omnes illos, qui suo tempore docendo excellentes existimabantur, se quidem judice, longe superare, contendit. Juris consultos autem doctores habuit præstantissimos BURCARDUM GOTTHELF STRUVIUM, CASPARUM ACHATIUM BECKIUM, JOHANNEM SALOMONEM BRUNQUELLUM, DIETERICUM HERMANNUM KEMMERICH, &, qui in historia & jure publico instar omnium erat, CHRISTIANUM GOTTLIEB BUDERUM summum virum.

Non vulgus solum eruditorum, sed alii etiam interdum, qui supra vulgus sapere sibi videntur, breviori temporis academici spatio contenti in patriam redeunt. Noster autem exacto Rostochii & Jenæ vitæ academicæ curriculo, doctorum, qui inclitis in his bonarum litterarum officinis erant, præstantissimorum institutione usus, nondum desit, sed Halensem quoque academiam adiit. Ibi viros litteris illustres & conspicuos audivit JOHANNEM PETRUM DE LUDEWIG, JUSTUM HENNINGIUM BOEHMERUM, JOHANNEM GOTTLIEB HEINECCIUM, CAROLUM GOTTLIEB KNORRIUM, & JOHANNEM EHRENFRIEDUM ZSCHACKWITZ.

Ultimo, quem in academia exegit, anno prælectiones instruit academicas, quibus tam jus publicum quam pandectas explanationibus suis illustravit. Auribus illi animisque aderant
B auditore

auditores, & haud exiguum certe hoc facto consecutus est applausum. Hinc amor vitæ academicæ in illo ortus est, & studium, totum sese eidem dicandi, felicissimis fane auspiciis. Postea vero quam de genere docendi optimorum in pluribus academiis doctorum ulterius perspicendo suosque in usus convertendo sollicitus fuerat, Rostochium reversus, anno MDCCXXXVI summis in utroque jure honoribus condecoratus est, Decano & Promotore JACOBO CARMON, habita pro licentia, doctoris gradum rite consequendi disputatione, cui titulus est: *Dissert. inaug. loco Diatribæ de juribus legatorum particula. De jurisdictione in legatos eorumque comites, præsertim Statuum S. J. R. Germanici in Comitibus.* Hanc cum censuræ causâ illustri Jctorum Rostochiensium ordini obtulisset, multæ illi creatæ sunt difficultates, cum Statibus quibusdam imperii principia in eadem posita non admodum grata fore visum fuerit. Quare immutare illam quodammodo debuit antequam prelo committeret, & problematice potius omnem rem proponere, quam decisionibus, si vel verissimæ fuerint, sibi aliisve incommoda quadam concitare. Quod procul dubio lubentissime fecit, qui ab omni controversia abhorrebat. Deinceps tamen hanc denuo castigasse, & totam fere aliam fecisse fertur, licet, quantum scimus, eam non publicarit. In Bibliotheca juris selecta Struvio-Buderiana elogium ejus quoad hanc dissertationem breve sed pulchrum exstat: Scite disseruit.

Ita doctorum coetui adscriptus ad usum communem conferre cepit partam doctrinæ copiam, tam scholis de jure habendis Rostochii, quam causis agendis, & elaborandis quoque nonnullis de quæstionibus juris responsis. Bienenium fere elapsum erat, ex quo in Castris Triboniani militaverat

taverat non sine gloria, cum Regius Celsissimusque Princeps CAROLUS FRIDERICUS, Dux Sleswici Holstiaë, gloriosissimæ memoriæ, Professore[m] juris romani & germanici ordinariu[m], in Jctorum ordine tertiu[m], atque simul in Cancellaria Ducali Sleswico Holstica Consiliariu[m] illum constitueret, Anno nimiru[m] hujus seculi XXXVII. Accepit honorificam hanc, quæ clementissime sibi demandata erat, provinciam &, habita solemnè eaque inaugurali oratione de finibus juris germanici tam antiqui, quam recentioris, & romani in germania oriundis, Anno æræ Christianæ MDCCXXXVIII officio huic se dedicavit. In hac, quod notavit Clariss. WEIDLICHUS, a JOHANNIS ULRICI L.B. DE CRAMER in judicio imperialis Camerae assessoris, viri perillustri, & B. GERLACHI Tubingensium Professoris sententia dissentiens contendit, mores antiquos germanorum in dubio legibus romanis esse præferendos. Anno MDCCXLIII potentissimus nunc Suecorum Rex ADOLPHUS FRIDERICUS, tunc temporis terrarum cimbricarum administrator, Professoris juris canonici & civilis munus illi tradidit, adeoque secundo Jctorum Ordinis loco eum constituit. Præclara ista, qua semper in explendo officio usus est, industria & indefessum de republica & altera hac, quam sibi jam elegerat, patria bene merendi studium non principum solummodo suorum clementissimorum favorem atque civium amorem, sed exterorum etiam assensum atque existimationem illi conciliavit. Hinc factum, ut serenissimus quondam Ducatus Holstici Ploenensis Dux FRIDERICUS CAROLUS Consilarii Justitiæ cum voto & lesione in Cancellaria, Consistorio & Camera ducali munus, illi destinaret, addito satis lauto stipendio, quod post

B.

tem ill. Schræderi, qui tum eidem serenissimo duci a consiliis
Justitiæ erat, augendum promittebatur, gratuito præterea do-
micio, & lignis necessariis, Anno MDCCXLIX. Ea profecto
fuit oblata hæc conditio, quæ facile ad accipiendam illam ani-
mum allectare posset. Neque prorsus alienus erat ab hac
sententia. Sed SERENISSIMI Academiae Kiloniensis
NUTRITORIS clementissima erga illum & academiam ani-
mi propensio noluit hanc nostram Christiano-Albertinam tanto
doctore privari. Quare ad Justitiæ Consiliarii in Cancellaria
Ducali dignitatem illum evexit, Salario quo hætenus usus erat
insigniter aucto. Quam quidem gratiam principis nova quæ-
dam mox excepit, quæ una cum ista effecit, ut reditum in dul-
ce natale solum recusaret, oblata alias occasione redeundi omni
attentione digna. Invitatus enim erat ab illustri Regiminis
Megalopolitani Consiliario DITMAR ad subeunda quædam
in patria officia. Neque invitatus solum, sed & liberum ipsi
relictum erat, condiciones constituere quasunque vellet. Imo
illæ, quas proposuerat, acceptæ atque concessæ erant. Ve-
rum AUGUSTI nostri PRINCIPIS clementissima de au-
genda & amplificanda etiam in posterum ipsius fortuna volun-
tas tantum apud illum valuit, ut de mutando domicilio amplius
non cogitaret. Atque haud ita multo post Anno scilicet
MDCCLIII B. FRID. GOTTLIEB STRUVIO succes-
sor datus est JCrorum Ordinis Professor primarius, auctus
eodem, quo ille usus erat, salario.

Est in academia nostra, prout in aliis quibusdam, offi-
cium Pro-Cancellarii perpetuum, Celsissimis Holsatiæ ducibus
regnantibus Rectoris & Cancellarii Munere ipsis nunquam non
gorentibus. Hoc ex more & consuetudine, pariter ac prin-
cipum

cipum Statutis alternis vicibus in primam ex theologorum, & ex Jctorum ordine conferri solebat. Mortuo autem B. FRI-SIO Theol. D. & P. P. O. successor nondum illi constitutus erat, sed Vice-Pro-Cancellarii munus tantum B. STRUVIO traditum donec ab ipso Magnificentissimo Cancellario, qui Petro-poli residebat, novus Procancellarius constitutus esset. De-functo autem B. Struvio splendidum hoc officium nostro collatum est MDCCLIV, plaudentibus omnibus, quibus, quanta ejus de universa patria sint merita, notum erat. Sequenti anno illustris atque excellentissimus DARIESIUS, qui nunc Consilarii intimi Augustissimi BORUSSORUM REGIS & Professoris in alma Viadrina munere fungitur, tunc autem Jenensium ornabat academiam, litteras ad illum scripsit, quibus jussu Serenissimorum Academiae Jenensis nutritorum, ei obtulit locum quem B. ENGA VIUS vir celeberrimus in Jctorum ordine, scabinatu, & judicio aulico, occupaverat, quem tamen accipere noluit, sed modeste recusavit. Tandem Ao. 1759. Consilarii Status honore mactatus est, manentibus reliquis omnibus, quibus hactenus functus erat, officiis.

Publica haec erant quae modo enarravimus officia B. DOR-NIO demandata. Sed nec deerant privata varia, eaque gravissima continuo illi exsequenda. Ab universo fere equestri ducatum cimbricentium ordine pariter ac ab aliis multis tam magistratibus, quam privatis, imo ab exteris saepius in consilium vocabatur summa ejus in jure scientia. Atque illustris virginum nobilium Praezensis Ccenobii praesules B. illustrissimus a BUCHWALD, & qui nunc eidem praest, illustrissimus JOSIAS A QUALEN Caes. Cels. a Consiliis intimis & Ord. Annae eques auratus in eo, quod moderante Praesule habetur,

judicio ejus consiliis in decidendis controversiis urebantur. His tandem negotiis illa accesserunt, quæ responsis Jctor. ordinis elaborandis ei sæpissime expedienda erant. Societati præterea litteratæ, quæ Duisburgi floret, adscriptus erat.

Distractus gravioribus hisce occupationibus, nihilo tamen fecius humaniorum litterarum studiis & elegantioribus dicendi generibus operam suam, quantum fieri poterat, impendebat. Quamvis enim hæc a consuetudine judiciorum & a forensi sermone quam maxime obhorrere videantur, recte tamen judicavit, artes quascunque atque scientias indissolubili quodam vinculo inter se cohærere, ita ut illi, qui uni vel alteri operam navat, non tamen proinde reliquas omnes aut spernere aut negligere fas sit. Non scriptis solum variis & orationibus, sed majori quadam harum rerum cura hoc suum de elegantioribus litteris bene merendi studium declaravit. Cum enim Anno MDCCLIV secundum exemplum aliarum academiarum eruditi quidam tam juvenes, quam alii ætate magis provecti consilium de constituenda societate, excolendis tam litteris elegantioribus, quam linguæ patriæ pariter ac latinæ dicata cepissent, atque hoc institutum bonis multis placere intellexissent, illustrem DORNIUM adierunt, eumque, ut instituti hujus in posterum Director esse vellet, rogarunt. Non accepit solummodo oblatam hanc provinciam Vir optimus, verum etiam omni cura atque industria de augenda & amplificanda salute hujus societatis cogitavit. Itaque & singulis saturni diebus habitos conventus pomeridianos, præsentia sua ornavit, & consiliis, atque donatione librorum haud exigui pretii, (erat enim societati animus bibliothecam constituendi scopo suo inservientem) societatem adjuvit. Atque, quod confessus societatis at-

tinet,

finet, raro admodum, & non nisi gravissima causa impeditus, absens fuit. Neque levis & transitoria erat hæc ejus erga Societatem benevola animi propensio, sed constanti potius & perpetua erga illam utebatur voluntate, digna Vero Jurisconsulto, quem Ulpianus ejusmodi voluntate præditum, rectis hoc respectu stoicorum assertis convenienter, affirmat. Quamdiu enim publice huic societati florere datum fuit, tamdiu eidem aderat Vir optimus, qui etiam postea quam certa quædam impedimenta, quæ hic recensere nil attinet, societatem tantum non opprimebant, multa singulis eidem adscriptis favoris sui atque benevolentiae testimonia præbuit.

Matrimonium iniit statim post acceptam Professoris in Academia nostra spartam MDCCXXXVIII d. XX Jun. cum Ornatissima Virgine, MARIA SOPHIA, B. JOHANNIS FRIDERICI OERTHLINGII, Serenissimi Ducis regnantis Meklenburgi Consilarii justitiæ & cancellariæ, intimique Referendarii filia. Ex hac suscepit MDCCXXXIX filium, AMANDUM JOHANNEM, qui institutus omni, qua decet, doctrina, & optimi parentis cura præcipue accurata jurium notitia imbutus, absoluta laudabili diligentia vita academica, ad id vitæ genus animum applicavit, cujus ab ineunte ætate dulcedine captus erat, œconomiam scilicet rusticam atque agriculturam. Institutione hujus jam fruitur Viri, cujus in re œconomica omnium judicio haud vulgaris est notitia. Atque ita sibi viam parat ad tranquillitatem istam, quam veteres exoptarunt, & quam HORATIUS prædicat:

Beatus ille, qui procul negotiis

(Ut prisca gens mortalium)

Paterna rura bobus exercet suis

Solutus omni scenore:

Neque excitatur classico miles truci, Ne-

Neque horret iratum mare:
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

Hunc secuta est MDCCXLII filia, AGNETHA ELISABETHA, & tandem MDCCXLVI nati minor filius, AMANDUS FRIDERICUS, qui adhucdum in Academia nostra litterarum studiis & jurisprudentiæ potissimum operam navat indefessam.

Valetudine satis prospera usus est, si ultimos vitæ excipias annos, quibus cum variis iisque gravioribus periculis illi conflictandum erat, usque dum d. XXV Aprilis præter omnium opinionem diem obiret supremum, qui, si DEUS votis nostris annuisset, multum abhinc dilatus esset. Hoc vero de obitu Virum experientissimum atque excellentissimum JOANNEM FRIDERICUM ACKERMANNUM, quo non minus medico artis salutaris peritissimo, quam Collega & amico amantissimo usus est, audiemus.

Præmaturæ mortis causas, quibus occumbendum fuit Viro longissima vita, ob summa in omnem rempublicam merita, dignissimo, viderur adtulisse adsiduum & plane intemperans, inter alios, ut sit, diætæ errores, studium, quo diu noctuque adfixus hæsit inexhaustis iisque gravissimis laboribus, ab Academia, Facultate, quam vocant, summis in urbe dicasteriis, & tot inpositis aliis, qui Ipsius consiliis & doctrina in rebus causisque agendis utebantur. Quæ vitæ ratio quo minus respondebat fabricæ & temperiei corporis, eo perniciosiori vitæ intimis præcordiis imprimebat labem exitiosam. Nata sic viscerum abdominalium glandularumque abstructarum vitia, ad
fluido-

fluidorum universam indolem facile & necessario corruptelas suas ferentia, in longo isto & vario adfectuum hypochondriacorum & arthriticorum comitatu pericula vitæ ostendere & minari incipiunt eo graviora, cum violenti fatis eorum impetus ad caput & pectus contendere, atque hinc terrores suos explicare audent. Initio igitur anni superioris, cum tali decubitu graviter adfligeretur, me vocat, atque, ut ab arte fidem, consilium opemque adferrem, juber. Quo pluris faciebam Virum, quem omnes propter doctrinam & maxima merita colere debebamus, ego vero etiam propter singularem erga me benevolentiam amare, eo inpenitus lætabar, cum anno vertente & alia medicamenta effectu salubri non caruisse, & aquam inprimis pyrmontanam egregiam exoptatamque opem attulisse intellexissem. Sed tanti mali altius tenaciusque hærentes radices, ut penitus evellerentur, novas novi anni operas postulabant. Vere enim hujus anni, exacto Martio mense, adolescente quæstus V. B. de adpetitu ciborum perduto, nausea, vomitu, maxime matutino, pituitæ tenacis & acris, diarrhœis, præcordiorum angustiis, artuum vagis doloribus, torpore & tremore, somnolentia, a capite aggravato, diurna, noctibus infomnibus, sudoribus brevibus, frigidis, unctuosus, fiti, turbis nervorum, musculos per somnum interruptum sæpius convellentibus, vertigine, animo vel levi interdum de causa emotiori & fluctuante, hæmorrhoidum irritis, iisque per cæcarum etiam tormina adhuc molestioribus, conaminibus aliisque ex pristino morborum agmine, quod tam bene placatum putasses, incommodis, fatis docebat, male & subdole insidiari hostem novasque colligere ex eodem causarum genere copias. Attamen & nunc ferunt magna levamina remedia idonea & missus e

C

secta

secta vena perque hircudines extractus sanguis, furis simul ad-
 motis cantharidum stimulis. Verum breves hae erant induciae.
 Instabat aderatque fatalis pugnae ultima hora. Quem enim die
 XXV Aprilis peregre agrorum causa profecturus videram
 satis bene habentem mane, eum redeuns, ut videtur, sangui-
 nis ad caput, pro more, turgentis copiosior violentia ve-
 speri ejusdem diei, duas intra horas, occidit; nullo, quicquid
 tentabat summa experientia & doctrina Collegae Coniunctissimi,
 D. STRUVE, quem, me absente, in auxilium advocaverat per-
 turbata domus, nullo inquam artis praesidio cohibenda.

Hic finis, hic exitus fuit vitae Viri omnium suffragiis de-
 sideratissimi. Notatu dignum est, praesagia mortis eum ha-
 buisse. Nam aliquot ante obitum menses auditoribus, quorum
 aliqui forsitan praelectionibus interesse neglexerant, dixit: Opta-
 re se, ut frequenter & continuo in collegio adsint. Exiguam
 forsitan tempus superesse, quo illius institutione uti illis liceret.
 Quae tamen praesagia non impedire potuerunt, quominus con-
 suctis laboribus eadem, qua solitus erat, alacritate operam na-
 varet. Putabat enim, boni viri esse, a statione, in qua a Sum-
 mo Numine constitutus est, non recedere, nisi imposta su-
 prema necessitate. Itaque ad extremum fere vitae halitum la-
 boribus vacavit, qui ipso illo die, quo e vita excessit, iam
 praelectiones instituere, quam summi etiam dicasterii conven-
 tui interesse voluit, & prohibente medico aegre se ab hoc pro-
 posito detineri passus est. Imo in ipso fere mortis articulo,
 aut paucis saltem ante mortem horis commentarios forenses
 sibi afferri iussit, atque legendis illis occupatus erat, eosque
 tum demum deposuit, cum morbi violentia quosunque stu-
 diorum conatus irritos atque frustraneos redderet. Quo facto,
 missis

missis, in quantum per intervalla quædam atque remissiones a vehementioribus insultibus illi licuit, ardentibus ad DEUM suspiriis, pie placideque, opinione celerius exspiravit, sui que desiderium reliquit nulli alii secundum.

Quam hætenus enarravimus vitam Viri meritorum gloria illustris, pulcherrimum pro patria & viventis & morientis exemplum exhibere putamus. Verum accuratius delineanda est ejus imago, seu Vobis potius, CIVES CARISSIMI, in memoriam revocanda, ita ut videamini præsentem adhuc intueri & frui vivo ejus exemplo imitatione dignissimo.

Corporis statura justa erat, quæ viri esse solet, aut ab eadem saltim haud multum recessit. Gravitate fronte atque vultu ostendit, non tamen tristem illam misanthropiæ indicem, sed a comitate temperatam. Qui ingenio erat vigor & alacritas & vehementia quædam in agendo, is & in incessu, gestu & omni motu corporis, atque in sermone potissimum conspicietur. Nam quæcunque vel dicebat vel faciebat, ea a summa animi intentione proficisci facile apparebat. Ingenio autem utebatur prorsus excellenti, memoria fida atque tenaci, judicio solvendis etiam nodis difficilioribus apto. Hinc summa illa jurisprudentiæ notitia orta est, qua tantam consecutus est nominis celebritatem tantumque non eorum solum, qui institutione ejus, sed aliorum etiam, qui consiliis ejus utebantur, applausum, imo famam apud externos, & principum gratiam. Non autem huic soli deditum fuisse ex iis, quæ jam ante de linguarum & humaniorum litterarum studiis diximus, patet. Et historiam calluisse, genealogiam, heraldicam, quam vocant, scientiam, nemo inficias ire poterit, qui horum studiorum ad jurisprudentiam habitum novit, & multas nostro

C 2 perpen-

perpendit oblatas fuisse occasiones, quibus in responsionibus ad quaestiones ex variis juris capitibus huc spectantibus dexteritatem suam luculentissime demonstravit.

Maxima erat, qua laboribus vacabat, diligentia tam iis, qui academiae, quam qui causarum forensium causa sive a cancellaria ducali, sive a Jurisconsultorum ordine dijudicandarum suscipiendi erant, pariter ac in consiliis ordini equestri aliisque erogandis. Et mirum sane videri posset, qua ratione unus Vir tot laboribus sufficere potuisset, nisi consuetudo vitae domesticae hoc facile explicaret. Surgebat enim quotidie illucescente die, excepto tantum hiemis tempore, quo citius surgere officiorum necessitas iussit. Reliquo autem anni tempore somno se uti posse negabat post ortum solis aut orientem etiam auroram. Imitatus hac in re Demosthenem, quem doluisse narrant, si a quodam opificum antelucana victus esset industria. Ad expectantes eum statim, ex quo surrexit, operas accessit, iisque vacabat usque dum horae instarent praelectionum academicarum, quarum prima verno, aestivo & autumnali tempore septima, hieme autem octava ante meridiem erat. Ab hora nona usque ad tempus prandio destinatum in summo dicasterio praesens erat. Statim post prandium ad lectiones academicas rediit, iisque duas, saepe etiam tres horas tribuit. Deinceps alios quoscunque expedivit labores, quorum, quod antea diximus, infinita illi erat copia, usque dum somno paucis horis recreari, naturae lex exigeret. Docendi genus & perspicuum erat & tale, quod tam principiorum iusta explicatione, quam exemplorum usum theoriae exhibentium multitudine, facile commendari poterat. Cum enim ipse doctrina sapientissime & usus esset & quotidie uteretur, fieri

fieri non potuit, quin in docendo infinita exemplorum copia illi in mentem veniret, atque sine animi contentione sua sponte sese illi offerret. Hinc factum, ut docendi genus nonnullis nimis diffusum visum fuerit, quod tamen, si vel maxime hoc verum sit, ejusmodi profecto fuit, ut, qui semel jurisprudentiam Vel secundum ordinem institutionum Justiniani Imperatoris, vel secundum pandectarum ordinem explicantem cum audiverant, majores inde fructus caperent, quam ex iteratis aliorum prælectionibus, præsertim autem illi, quibus vel in Holsatia vel in ducatu Megapolitano aut causas forenses causarum patroni agere, aut in judiciis lites componere animus erat. Tanta vero solertia prælectionibus operam dedit, ut rarissime tantum earum vacationem concesserit, atque ut omnia sibi met ipsi harum causa denegaret voluptatis & recreationum genera.

Atque hæc tam negotiosa vitæ ratio tamen non impedivit, quo minus multa scripserit. Non ea hoc loco recensere animus est, quæ prelo non commissa sunt, sive orationes sint habitæ, quando magistratum academicum aut susciperet aut fasces successorum traderet, aut in honorum erogatione, quando aut ipse promotor & brabeuta Doctores vel Licentiatos, quos vocant, creabar aut Pro-Cancellarius consensum Cancellarii Magnificentissimi publice significabat, sive responsa sint atque consilia juris. Equidem hæc impressione haud indigna censeri possunt, cum a viro profecta sint & summæ scientiæ & in singulis, quæ tam eruditis quam privatis scripsit, tam accurato, ut vix ac ne vix quidem verbo uteretur, quod quomodocumque ad rectum animi sensum exprimendum minus idoneum ipsi videntur, sed ad quamcunque voculam attentus solertissime inquirebat, num vel ancipiti significationi, vel

alii cuidam difficultati ansam præbere posset. Suo enim jure gloriari poterat, nullam unquam (quod alioquin celeberrimis legum peritis interdum accidit) testamentariam dispositionem suis sub auspiciis conditam labefactari potuisse. Ad singula quippe animum attendebat, probe gnarus, quantum sæpe in ejusmodi rebus valeant minutia. At tamen tantum hoc loco exponere placet scripta, quæ typis expressa sunt, sive integra ab eo profecta sint, sive præside illo & moderatore calculum adjacente, publicata.

Atque præter dissertationem inauguralem, cujus supra mentionem fecimus, notari meretur:

- 1) Problema juris lubecensis quænam sit ratio, ut communio æris alieni inter conjuges existat, si matrimonium prole ditatum, nulla, si sit improle? Kilonii 1738. 4. Programma erat, quo prælectiones suas indixit.
- 2) Dissertatio de jurisdictione criminali exule in judiciis ecclesiasticis, pro summis in utroque jure honoribus obtinendis habita a Christiano Busse. 1739. 4.
- 3) Diss. inaug. Joach. Christoph. Ungnade, exhibens singularia querelæ testamenti inofficiosi capita tam quoad Jus Romanum quam germanicum ab erroribus doctorum vindicata. ib. 1740. 4.
- 4) Programma: an contra testamenta principum querela inofficiosi testamenti locum habeat, ad dissertationem modo nominatam invitatorium. ib. 1740. 4.
- 5) Diss. de pactis dotalibus super bonis acquisitis tantum confectis absque proximorum cognatorum consensu jure hamburgensi validis, hab. pro licentia, summos in jure honores consequendi a Petro Holzmanno. 1748. 4.
- 6) Programma: in quo in veritatem paræmiæ: Stadrecht bricht Landrecht; Landrecht bricht gemeine Rechte, inquiritur, ad dissertat. Consultiff. Holzmanni invitatorium. 1748. 4.
- 7) Diss. inaug. de testamentis feminarum Hamburgensium. 1748, pro gradu Doctoris habita a Christophoro Lipstorpio. 1748. 4.
- 8) Programma: de cura minorum per testamentum vel arctata, vel prorogata, quæ ad audiendam disputationem doctissimi Lipstorpium invitavit. 1748. 4.

9) De

- 9) De interesse synonymorum in foro. 1750. 4. Diss. Fridericiana habita respondente Henningio Friderico Seelhorst.
- 10) Diss. inaug. de revocatione alienationis jurium superioritatis territorialis & regalium propter errorem invalidæ, quam pro gradu Doctoris defendit Carolus Ludowicus Storchius. 1751. 4.
- 11) De compensatione in concursu creditorum. 1754. 4. hab. pro licentia ab Adolpho Friderico Coulon, Hamburgensi.
- 12) Diss. inaug. de venditione a debitore fugitivo ante fugam facta secundum jus lubecense invalida. hab. pro summis in jure honoribus ab Aug. Frid. Förrsch. Lubecensi.
- 13) Diss. inaug. hab. a Joh. Christiano Uelken de alienat. bonorum hereditariorum in casu, ubi forenses libere de iis disponere possunt, jure novo hamburgensi licita.
- 14) Diss. inaug. Phil. Wilh. Schütze, de ultimo indoffatario litterarum cambialium, omnium indoffantium, nec non remittentis imo ipsius trassantis mandatario ejusque obligatione & culpæ præstatione.
- 15) Diss. inaug. de jure hypothecæ tacitæ pro gradu Doctoris defensâ a Joh. Erico Dühmke.
- 16) Diss. inaug. de jure retentionis in concursu creditorum, hab. a Carolo Andrea Höfer. 1764. 4.

Hæc itaque monumenta sunt, quæ posteris quoque memoriam Nostri commendabunt. Nobis autem non hæc solum, sed illa etiam documenta, quæ de ea, qua erga nos, uti erga omnes, quos multos habuit, amicos, affectus erat optima animi propensione, exstant obitum ejus acerbiores reddunt. Quanta enim fuit publicarum rerum cura, tanta etiam erat amabilis erga alios voluntas. Temperamento quidem cholericò, quo utebatur, sæpius ad vehementiam quandam in agendo commotus, subiracundus fuit, attamen favorem ipsius sibi rursus conciliare facillimum erat illis etiam, qui propria culpa eodem exciderant. Atque in tam occupata vitæ ratione promtorem aliis ad quævis officiorum genera, neminem reperiri facile concedent, quibus optimum virum propius nosse contigit. Affabilis erat, humanus, consiliis suis alios adjuvandi cupi-

cupidus, &, quamvis illi nihil carius esset tempore, haud tamen ægre tulit, non momenta solum sed integras sibi interdum horas eripi ab illis, qui vel amicitiae testandæ vel consilio ipsius utendi gratia eum frequenter interpellarent. Igitur mirum non est, mortem ejus omnibus dolendi causam præbuisse gravissimam, præcipue vero Academiae, & vobis, qui illi in deliciis eratis, Cives carissimi. Quapropter recordamur eorum, quæ statim post obitum ill. Dornii exhibuistis, pietatis vestrae testimoniorum, publico luctu & vestitu lugubri pariter ac elatum hinc Bordscholmiam funus concomitantes, quæ vobis honorifica, sunt, nobis, qui hunc erga doctorem vestrum amorem lubenter percepimus, grata & accepta. Multis enim ille bonis flebilis occidit, nulli flebilior, quam tibi, Christiano-Albertina. Tu frustra pia, heu! non ita creditum poscis Dornium Deum. Verum enim vero, Cives,
 levius sit patientia
 Quicquid corrigere est nefas.


Quare


Revocate animos, mæstumque timorem
 Mittite.

Sed pietatem non mittite, qua memoriam ejus hætenus coluistis, atque ipsam ejus memoriam exemplum vobis præbere, cogitare, quo ad præclara quævis excitari possitis, & hoc quidem duce discite pro patria & vivere & mori.

P. P. sub sigillo Academiae Mens. Octobr. MDCCLXV.







quamvis illi nihil carius esset tempore, haud tulit, non momenta solum sed integras sibi intercipi ab illis, qui vel amicitiae testandae vel consilio gratia eum frequenter interpellarent. Igitur est, mortem ejus omnibus dolendi causam praemiam, praecipue vero Academiae, & vobis, qui eratis, Cives carissimi. Quapropter recordamur statim post obitum ill. Dorn exhibuistis, pietatis oniorum, publico luctu, quibus, pietatis ic Bordscholmiam s. u lugubri pariter a, sunt, nobis. rem vestrum enter percepi. Multis enim pilis occid. Christiano- Tu fr. Cis Dor-

non mi am ejus m d praclara q oro patria & sigillo Academ

